

05

A

654





IN NOMINE JESU MESSIÆ!

DECANUS

THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI,

D. JOHANN. Deutschmañ/
PROFESS. PRIMARIUS, COLLEG.
THEOLOGICI SENIOR, TEMPLI PRÆ-
POSITUS, &c.

PRIMUM, MEDIUM, ET NOVISSIMUM,
FIDEI, JUSTITIÆQUE SALUTARIS,
IDQUE SALTEM UNICUM, ET SOLITARIUM,
CATHOLICUM, ET PERPETUUM,
PATRIARCHARUM, PROPHETA-
RUM, ET APOSTOLORUM, AC OMNIUM
DOCTORUM,

CENTRUM,

CUM APOSTOLICA VEL OPPOSITIONE, VEL EX-
CLUSIONE NOSTRORUM BONORUM OPERUM,
IN ORACULO GEN. XV, 6.

UNIVERSIS, ET SINGULIS LECTURIS,
PIIS MEDITATIONIBUS OFFERT,
ET AD SOLENNEM ORATIONEM
IN ACADEMICA PANEGYRI,
DIE XIX. MENSIS SEPTEMBRIS
OMNES REVERENTER INVITAT.

(1698)

IN NOMINE JESU,
NOSTRÆ JUSTITIÆ!



Redidit Abram Deo, (Hebr. ביהוה in Jehovam)
& imputatum est illi ad justitiam. Oraculum,
non cedro, sed eternitate dignum, non auro, vel
argento, neque margaritis, vel gemmis, aut aliis
hujus mundi preciosis æstimandum, vel comparandum,
sed ultra precium, ultra quodvis vel precium, vel æstimium
elevandum, & deprædicandum! Omnis gratia justificantis
seminarium! Omnis justitiæ salvantis breviarium! Omnis
gloria triumphantis Epinicium! Nec hominum, nec Angelo-
rum lingua dignum ei dabit encomium, sufficiens ipsi præ-
stabit præconium. Hic non rimari, sed mirari, sapientiæ
vera. *Votis* hic, non *verbis* opus. *Verba* non sufficiunt,
verba nil efficiunt, *verba* tum in *effatu dictorum* investi-
gando, tum in *sensu mysteriorum* explicando maxime de-
ficiunt. Exosculamur Oraculi præsentis certitudinem, ad-
miramur ejus celsitudinem, veneramur in eo justitiæ, salu-
tisq; plenitudinem! Cernimus hic universæ Scripturæ Cen-
trum, totius Theologiæ Compendium, & Ecclesiæ Catholicæ
fundamentum. Nam Scripturæ justitiæ Verbum, quod ex
ore Messie, juxta Prophetam, egreditur, & in Scripturis ad
salutem nostram custoditur, Esa. XLV, 23. Fides justificans
Theologiæ nucleus, atque scopus, quem cum Scriptura com-
munem habet, cum Theologia sit principiatum, cujus Scri-
ptura principium dicitur, quod *verba fidei* complectitur, Rom.
X, 8. Et hoc est, quod Job. XX, 31, legitur: *Hæc scripta sunt, ut*
credatis, quia Jesus est Christus, Filius Dei, & ut credentes vi-
tam (æternam) habeatis in nomine ejus. Est quoque toti-
us Ecclesiæ Catholicæ prora, puppisq; justificationis Articulus,
quo stante, stat Ecclesia, quo cadente, cadit Ecclesia. Nos
modo singula nec exponere, nec in usum convertere pos-
sumus,



05 A 654

sumus, cum exiguum sit presentis *Programmat*is spacium, in *Primo* proinde subsistere placet *Elogio*. Breviter igitur notabimus, & indicabimus, quod hoc nostrum *Oraculum* sit *Centrum Divinarum Scripturarum*, cor *sacrarum Pandectarum*. Ex hoc *Oraculo*, tanquam ex *intimo Centro*, ducitur *omnis fidei linea*, *omnis justitie peripheria*. Communiter *omnis Scriptura* versatur circa *revelationes in Historia Patriarcharum*, circa *revelationes Prophetarum*, & circa *divinas Apostolorum revelationes*. Communi pariter traditione *totus Scriptorum Canon* ad tria *millenariorū* spacia distribuitur ex antiquissima *Traditione*: *Duo millenaria* tribuuntur *Patriarchis*, & *primis Ecclesie Propagatoribus*: *Duo millenaria* *Patriarchis ultimis*, & *reliquis Prophetis*, cum *Abrahamus* ex ipsius Dei testimonio *Gen. XX. 7.* *primus omnium* hoc *Elogium* divinitus acceperit, *cunctorumq; Prophetarum Pater*, & quasi *primipilus* factus sit: *Duo millenaria* temporibus *novissimis Christo* tribuuntur, & *ejus Discipulis*, vel *Apostolis*, ac *Ipsorum successoribus*. Unumquodlibet *intervallum* horum *millenariorum* ad *Centrū* hoc respicit. Ex eodem egreditur, & ad illud revertitur, ac ex illo *peripheriam* omnem incipere non tantum, sed etiam perficere dicitur, cum *sine fide prorsus impossibile* sit *DEo placere*, *Hebr. XI, 6.* *Prasens* igitur *fidei Verbum*, vel *Oraculū*, tanquam *fidei verbum*, ducit in *millenaria prima*, producit in *millenaria media*, deducitque tandem in *millenaria novissima*, *Doctrinam fidei*, *justitięq; salvificę Catholicę*, vereque *perpetuam*, & *instar Centri* de se *divinissimas salutis lineas*, in *cunctis mundi millenariis*, undiquaque longa serie diffundit. *Centrum* hoc est *primum per seriem Patriarcharum*: est *medium*, per *ordines Prophetarum*, in *mediis millenariis*, est *novissimum* in *postremis millenariis Apostolorum*, & *omnium Christianorum Successorum*. Sem-

per enim viguit hoc Centrum in Veteri, Novoq; Testamento:
Credidit homo Mesianus in Deum, & imputatum est eidem
ad justitiam. Centrum hoc est unicum Dei Messia, quia
tantum unus est Mediator Dei, & hominum, 1. Tim. II, 5.
verus mundi Messias. Est unicum fidei Centrū, dū una tantum
fides, Eph. IV, 5. Est unicū veræ salutis, & justitiæ, Centrū quia
non est sub cælo datum aliud nomen, in quo peccatores oportet
salvari, nisi in unico Nomine Jesu, Act. IV. 12. qui Je-
bova justitia nostra, Jerem. XLIII, 6. cum sit factus à Deo
non tantum Sapiencia, sed etiam Justitia, Sanctificatio, Re-
demptio, 1. Cor. I, 30. Est Centrum solitarium, quia dicit. Hec
Dominus, Rex Israel, & Redemptor noster, Dominus Exerci-
tuum: Ego Primus, & Ego Novissimus, & absq; me non est
Deus, Esa. XLIV. 6. Vere Deus absconditus, Deus Israel Salva-
tor, præter quem non est alius, sicut notatu dignissimis ver-
bis, v. 21. Messias ipse, satis multis, satis ponderosis, attesta-
tur, v. 19. Ego Dominus, & non est alius, non in abscondito lo-
cutus sum, in loco terra tenebroso: non dixi semini Jacob:
Frustra querite me: Ego Dominus, loquens (& faciens) JUS-
TITIAM, annuncians recta: Congregamini, & venite,
& accedite simul, qui salvati estis ex gentibus, nescierunt,
qui levant lignum sculptura sua, & rogant Deum non Sal-
vantem: Annunciate, & venite, & consiliamini simul: quis
auditu fecit hoc ab initio, & tunc prædixit illud? Nun-
quid non Ego Dominus, & non est ultra Deus absq; Me?
**DEUS JUSTUS, & SALVANS NON EST PRÆTER
ME:** sic & v. 17. Israel Salvatus est in Domino (Messia
Solo) salute aeterna: non confundemini, & non erubescetis us-
que in seculum seculi. Salvator ita perpetuus, Salvator, &
Catholicus, quia Cælestis etiam Pater de Messia dicit cap.
XLIX. 6. Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus
Jacob, & feces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem
genti.

gentium, ut sis Salus mea, (non tantum in Palæstina, sed) usque ad extremum terra. Hoc vere Centrum Centrorum, & inde Centrum Nostrum Omnium! Messianus fidelis omni tempore credidit in Deum Messiam ad justitiam! Centrum divinissimum, Centrum durabilissimum, & universalissimum! Centrum hoc est Primum, lineas ducens in antecedentia tempora Patriarcharum, & omnium auditorum Patriarcharum, nimirum ante Abrahamum. Adam, homo primus, peccator primus, credidit in Jehovam, Semen mulieris, & sine propriis operibus, unice credidit in Mesiam, Hoc Semen mulieris, & una cum Eva, matre fidelium omnium, confessus est: Habeo Virum Jehovam, verum *Jeai' Deonov*, non quoad corporalem incarnationem, sed quoad fiducialem cordis possessionem, qui simul Semen, Gen. III, 15. & Germen humanum, & simul Jehova Justitia nostra, Jer. XXIII, 6. Primus Messianus ab Adamo, fidelis Abel, etiam neutiquam ex opere operato, sicut Cain, Deo sacrificium obtulit, sed per veram fidem Mesiam respexit, in Hunc ad justitiam unice credidit, & hoc ad justitiam etiam ipsimet imputatum, sicut Spiritus S. ipse Hebr. XI. 4. testimonium, quavis exceptione majus, perhibet: Abel FIDE hostiam uberiores, quam CAIN obtulit Deo, per quam (NB.) testimonium consecutus est, esse JUSTUS, Testimonium perhibente muneribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Septimus ab Adam, illustris Messianus, in medio fere seculorum Antediluvianorum, Henoch extitit, qui de Messia non tantum illustra vaticinia suis auditoribus proposuit, Jud. v. 14. sed etiam constanter in Deum Mesiam credidit, & hoc ipsi pariter ad justitiam fuit imputatum, sicut itidem Spiritus Sanctus attestatur, Heb. XI. 5. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, (in Messia videl. qui peccatoribus Vita, Job. XIV. 6.) & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus:

Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo: mox his v. 6. notabilissimus Aphorismus Centri Nostri subjicitur: Sive Fide (nim, in Messiam) impossibile est placere Deo, cum omne Patris beneplacitum sit in Messia fundatum, Matth. III. 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui. Circa primi mundi terminum floruit cum suis Noa Mesianus, qui non nisi per fidem coram Deo gratiam invenit, Gen. VI. 8. sicut in Catalogo Fidelium Heroum etiam Spiritus Sanctus memoriae prodidit, Hebr. XI. 7. Fide Noe, responso accepto de his, quae adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem Domus suae, damnavit mundum: & JUSTITIAE, quae per FIDEM est, haeres est institutus, hoc est, Noe credidit in Deum Mesiam, & hoc ipsi fuit imputatum ad justitiam. Nec aliud de Reliquis Patriarchis post diluvium ad Abrahamum usq; dicendum, quod illi pariter omnes crediderint in Mesiam Deum, & ipsis illud imputatum sit ad justitiam. Totus igitur Chorus Patriarcharum, ante Abraham, Nostrum Centrum respexit, & ex eodem lineas peccatoribus exoptatissimas fidei justificantis, ipsius justificationis, & salutis, per hoc Evangelium ad se direxit. Si nunc Meditullium Centri Nostri per Mediam Millenariorum classem, temporibus Patriarcho-Propheticis, ad manus sumere vellemus, campum latissimum ingredi possemus. Nam ut superius indicatum, primus inter Prophetas ab ipso Deo titulatus Abraham est appellatus, adeoq; quantum ad Nomen Prophetae, classem ipse ducit. Huic igitur Centrum hoc, tanquam punctum Medium, verbis expressis appropriatum, quia praesens hoc Oraculum non ad alium accommodatum: Credit Abraham Deo, vel in Deum, & imputatum ipsi fuit ad justitiam: Tot, & tanta inter Heroes fidei de Abrahamo prolixis verbis, in Catalogo Virorum Illustrium Hebr. XI. 8. 9. 10. & seqq. documenta Centri Nostri producuntur, ut ea solummodo

com-

commentationem integram requirerent, & absolverent. Sed manet is *Pater omnium credentium*; Rom. IV. 11. quod nobis instar omnium argumentorum esse potest. *Heros in fide Patriarcha* pariter *Isaac* fuit, v. 20. qui *fide* non modo credidit in *Deum Mesiam*, & hoc ad *justitiam* ipsi pariter imputatū, sed & de futuris benedixit *Jacob*, & *Esau*. Nec aliud *Centrum Jacobus, Josephus, & cæterorum XII. Patriarcharum Ordo* semper intuitus est. Omnes, & singuli *lineas fidei certissimas ad hoc punctum* contulerunt. Idem fecerunt *Moses, Aaron, & reliqui fidei justificantis strenui Sectatores, & Bellatores*, qui longa serie dicto loco sunt à *Spiritu Veritatis* enumerati. Singula *Horum facta, vel miracula*, nec allegare, nec exornare licet, *Unicum Davidem* ex eorum numero notemus, qui plurimis in *Psalms* maxima *Fidei præconia, vel encomia*, tribuit, & tanquam *Abrahami congener Filius*, in *Mesiam credidit*, & inde *salutarē ad justitiam imputationem* accepit. *Beati sint*, inquit *Psalms. II. 13. qui confidunt in eo*, scil. *Mesia*, & ex Hoc, per *fidem, beatitudinis, vel justitiæ præconium* omnes consecuti: nec *justus alia, quā sua fide* vivit, & *justitiæ coronam recipit Hab. II. 4. Unā, vel altera sententia Centrum hoc augustum* notare necessum habemus, quia totum *librorum Historicorum, Psalmorum, & Prophetarum*, nequaquam penetrare valemus. *Leviter, & extremis labiis illud degustemus, quod plenis haustibus, vel sorbere, vel ebibere non licet.* Pergendum quoque breviter ad *Novissimum Millesimariorum intervallum*, ex quo tum ipsius *Christi Salvatoris*, tum omnium fere *Apostolorum*, pro nostro notabilissimo *Centro Fidei, Justitiæque*, Suffragia maximo numero colligere promptissimum foret, sed brevitas *Programmatis* calamum à scribendo retrahit. *Unicus nobis sufficiat modo Paulus, qui locū illustrem, Nostro Parallelum, adduxit, & ad nostrum etiā scopum*

pum, in aurea Romanorum Epistola, Caput Quartum pluri-
mis indiciis direxit. Hic totius tractationis summarium, & Ar-
gumentum ex Oraculo Nostro sumit, & Spiritu Sancto Duce no-
stram sententiam quam firmissimam reddidit. Hic accurat-
issimus Fidei, Justitiæq; Doctor à justificationis Negotio pro-
cul opera nostra cuncta removet, omniq; conatu, vel argu-
mentorum apparatu, fidem solam in vero justitia, vel justifi-
cationis Mysterio stabilivit. Cap. III, 20. scribit: Ex operibus legis
(nim. bonis, cum mala, tanquam peccata, lex non præ-
cipiat, sed constanter sub gravissimo condemnationis
reatu prohibeat,) non justificatur omnis, vel ulla caro: per le-
gem addit, agnitio peccati. Et, ut alia nunc omittamus,
v. 28. firmissimam conclusionem affert, & infert: Arbitra-
mur hominem justificari per fidem, sine operibus legis: hinc
per occupationem egregiam Caput quartum in Abrahamo sic
exorditur: Quid ergo dicemus invenisse Abraham, Patrem
nostrum secundum carnem, si enim Abraham ex operibus ju-
ustificatus est, habet gloriam, sed (NB.) non apud DEUM.
Quid enim dicit scriptura: (Nostrum hic introducit Centrum
Paulus:) Credidit Abram DEO, & reputatum est illi ad ju-
sticiam: illustrem addit hujus Centri commentarium, quod
omnem interiorem, & essentialem Fidei, justitiæq; coram
Deo respectum & Statum ita constituat, ut opera nostra pror-
sus omnia simpliciter excludat. Ei, qui operatur, merces non
imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero,
qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat im-
pium (non bonis operibus cum Phariseo turgidum, Luc.
XII. 11. 12.) NB. reputatur fides ejus ad justitiã, secundum pro-
positum gratie Dei, quod addit hic Vulgatus. Urget idem ex Da-
vide Psalm, XXXII. 6. & plura postmodum in Centri nostri
Catholici patrocinium, & presidium movet; & per fidem Abraha-
mum, Patrem omnium credentium constituit, tam in præ-
putio

putio, quam in circumcissione: disertis etiam verbis testatur, quod signum Circumcissionis acceperit, ceu signaculum justitiae fidei, quae est in praeputio, nimirum ut NB. sit Pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur & illis ad justitiam, & sit Pater circumcissionis, non his tantum, qui sunt ex circumcissione, sed & his, qui sectantur vestigia fidei, quae est in praeputio Patris Abrahae. Hic certe longe plura latent mysteria, quam producuntur verba, sed latius illa persequi, ratio programmaticis prohibet. Sufficit nobis, quod hoc nostrum Oraculum Abrahamico-Paulinum sit Fidei, Justitiaeque Centrum, ex quo militantis Ecclesiae totius, & omnium, ac singulorum credentium, atque Justificationis beneficium accipientium, illuminatur, exornatur, & consummatur peripheria. Si credit aliquis ex praeputio: Credit in Jehovam Messiam, & hoc ei ad justitiam imputatur: Credit alius ex circumcissione, pariter credit in Jehovam Messiam, & idem justitiae premium ex imputatione consequitur: Credit fidelis Veteris, aut Novi testamenti, non aliter credit, quam in Messiam Jehovam. Hic omnibus est scutum, & merces: Scutum adversus injustitiam, gratiae premium ad justitiam: Scutum adversus peccatum, merces ad consequendum justitiae scopum: hinc id ipsum ipse Messias Jehova v. I. luculenter indicat: *Noli timere Abraham: Ego sum scutum tuum, & merces tua magna nimis.* Messias est principium, est objectum: dat fidem, ut Autor, & ipse fit objectum, cum in negotio justitiae vel salutis, Ipse τὸ πᾶν sit: nobis certe fit, est, & Manet omnia! Est scutum contra peccatum in remissionem peccatorum, cum omnes hostes spirituales, & omnia mala procul à nobis repellat, & omnium bonorum privativorum sit Autor: est idem merces ad veram, & coram DEO valentem, justitiam, ac omnium bonorum positivorum Collator. Hic nostrae justitiae negotium solus incipit, solus instruit, solus perficit.

B

Hic

Hic *Alpha & Omega, Primus & Novissimus, Principium, & Finis* Apoc. I. 8. seq. Hic purissimæ *justitiæ promus condus*: quid hic valebunt *impura hominis opera*? Esa. LXIV. 6. sunt *instar panni menstruata*, sic purissimis oculis DEI placere nequeunt: Hic *perfectam*, imò *perfectissimam* nobis parat *justitiam*: quid *imperfecta nostra conferent opera*? quæ sunt *mutila, sunt manca*, defectibusque plenissima *Jacob. III. 2. Messias Abrahamo Doctore* erat *justitiæ*, secundum illud *Esa. LXIII. 1. Quid Abraham in Messiae Doctore* schola vel audiebat, vel discebat? nihil aliud, quam *Ego sum scutum tuum, & merces tua magna nimis*. Positis omnibus bonis *privativis*, omnibus item bonis *positivis*, quid nam deerit? Nihil. Quid igitur operibus tribuendum? Nihil itidem. Sicut autem *Messias* nullum circa *justificationis beneficium*, vel *negotium* vel *actum*, de bonis operibus, hic verbum fecit; ita pariter *Abraham, fidei, justitiæque Discipulus*, nihil bonorum operum admiscuit, sed simpliciter omnia retulit ad unicū *Messiam*, nihil ad *opera bona*: *Credidit Abraham in Jehovah Messiam, & illud ei reputatum ad justitiam*. Si considerarent hoc *Nostri Novatores*, nevtiquam *Patrem credentium Abrahamum*, vel etiam *ipsum Messiam*, ausu turpissimo reformarent, & *opera nostra*, quæ sunt in *Articulo justificationis* mera non tantum *detrimta*, sed & *σκύβαλα*, vel *stercora*, juxta *Paulum*, vel ipsum *Spiritum S. Phil. III. 8. Abominabile dicitur Idolum*, vel ipse *Diabolus*, *Opus omne nostrum*, quod in *Thronum Justitiæ* collocatur, & *Jehovæ Justitiæ nostræ Jer. XXIII. 6. coordinatur*, atque *Melchisedeco*, vel *Regi Justitiæ* per *Εργολατρείαν* ad *latus* ordinatur. *Opera nostra* non sunt *partes nostræ Justitiæ*, vel *salutis*, *Sie sind Stücke unsrer Christlichen Schuldigkeit / nicht unsrer Christlichen Seeligkeit*. vid. *Christ-Luch. Vorstellung. p. 2. Art. VI punct. 4. Monstrum hoc foret Totum*, quod tales *partes* in se reciperet. *Meritum Messie ennacta*, quæ sunt, *justitiæ*, debe-

mo, nihil operibus nostris tribuere possumus, nisi per horrendum sacrilegium, vel integrum, vel partem justitiæ Messianæ nostris operibus rapere vellemus. Valeant ergo Novatorum, ἀνὸς ἀπατα, quæ non ex Abrahami, Patris credentium, Centro, sed ex Phariseorum liripipio, vel infernali prorsus abyssu fluunt. Dolendum, quod hæc subinde publicis in Scriptis repetantur, incautis, & indoctis obtrudantur, & adversus Christi Salvatoris, & Apostolorum doctrinam acriter defendantur, Abrahami, vero, cunctorumque per omnia secula fidelium vestigia deserantur, novis etiã erreneis dogmatibus contra Scripturã augeantur, sicut novissimè contra Dn. D. Schelg vigiũ, Propugnator acerrimus Pietismi, & Patriarcha Pietistarum, cunctas hypotheses erroneas recoxit, & novas etiam addidit ex plurimis, una, p. 281. saltem allegabimus, quando nescio quam *fidei vitam* ipsi Christo, vel ejus per *fide apprehensionem* prætulit scribens: Das momento naturæ, und nach dem Begriff unsers Verstandes/ der Glaube bereits (NB.) lebendig sey/wann er Christum ergreiff: dann das ergreifen ist etwas/das aus einer Krafft kommen muß/un hat der Glaube solche Krafft/wie wir gehöret/ aus der Göttlichen Wirkung/ aber mit Christo erlangt er das Leben/Hab. 2. 4. nicht sich/sondern dem Menschen/welches Leben in der Gerechtigkeit/und Seligkeit bestehet. In his falsa plura latent, quã verba patent, quod fides sit *ante Christũ viva*, quod habeat sine Christo *virtutẽ*, quod fides in se sit *viva* prius, quã in homine, quod divina virtus sine Christo, vel ante Christum detur. Deo miseratur Errantium, & ad Christi notitiam atq; Gloriã deduci. De hoc egregio totius Scripturæ Centro, cum primis quoad *fide justificantẽ*, & *salutiferam justificationis* doctrinã, loco *commentationis* afferre plurima deberemus, cum ingens doctrinæ, nunquã satis laudatæ, *Mare corã oculis in Emphasi verborum* conspiciamus, majora quoq; *commendationis* ergo, proferre possemus, sed institutum nostrum in præsens hoc non est. Præstabit id more suo, hoc est, *optime*, VIR MAXIME REVERENDUS,

DUS, AMPLISSIMUS, & EXCELLENTISSIMUS, DN.
M. CHRISTIANUS *Gotthelf Blumberg* / OBHUSA-
THURING, PASTOR ECCLESIAE RADEBERGENSIS
IN MISNIA MERITISSIMUS, ADJUNCTUS EPHO-
RIÆ DRESDENSIS MERENTISSIMUS, S S, TEOL.
CANDIDATUS DIGNISSIMUS, *Fautor, Amicus, & in*
Christo Frater honoratissimus, cujus laudabile *Vitæ Curricu-*
lum pro more nunc recensebimus. Primam *mundi lu-*
cem in *Patria* laudata die 24. *Februarii*, Anno 1664. vidit,
Patre ADMODUM REVERENDO, & CLARISSIMO
DN. M. FRIDERICO *Blumberg* / *Pastore loci*, & Matre
pudicissima DN. CHRISTINA ELISABETHA, germana
B. DN. M. PETRI *Kirchbachs* / *Pastoris*, & *Superintenden-*
tis olim Cygnei, Filia. Sic per divinam providentiam ex Or-
dine *Sacerdotali* prognatus, eidem quoq; *natali jure* dicatus,
atque consecratus. Nec absque felicitatis omine *religiosi*
Parentes filii, divinitus donati, *curam* sedulam susceperunt.
Prima fuit *Spiritualis* per *baptismū* *regenerationis*, ut *natura*
bona per *Sancti Spiritus* dona bene colerentur, auferentur,
& exornarentur, ideò *pietatis semina* *prima domi* statim
instillarunt, & felices horum progressus ex *benedictione Do-*
mini celeriter observarunt, nec exiguam inde *spem futuræ*
vitæ notarunt. Postquam autem *Parens* ejus ad *Ecclesi-*
am Schneebergensem vocatus est, *Scholasticis* illius loci *Præ-*
ceptoribus commendatus. Nec Illi suo defuerunt officio,
sed ad *puerum formandum*, & *informandum*, indefinente
fuerunt usi studio, quibus tamen *Privati Manuductores*, ad
faciliores & feliciores studiorum proventus, adjuncti sunt.
Grata proinde *memoria* servat *privatos Præceptores*; DN.
GEORGI, jam *Ludimoderatorem Eubenstochensem*, DN.
JOH. CHRISTOPHORUM VOGELIUM, *Pastorem mo-*
dò Schönbeidensem, & DN. M. JOH. *Jahn* / *Pastorē in Mue.*
Publicos autem *Doctores* nactus est, DN. M. JOH. CHRI-
STO-

STOPHORUM Beer / Schola. Schnebergensis Collegam
Quartum, DN. HIERONIMUM Freitag / Conrectorem,
& DN. M. MICHAELEM HERZIUM, Rectorem, quorum
operam, & industriam ad Sui culturam, grata mente cele-
brat. Ex hac Schola Triviali, satis alias celebri, consilio
Suorum, ut & Praceptorum, atque Patronorum, ad Illustrem
Scholam Electoralem Misenensem transiit, ut ibi majores
profectus quaereret, & ad altiora Studia procederet. Nec
institutum hoc insigni fructu caruit. Celeberrimum enim
& fidelissimum Rectorem, DN. M. JOHANN. GEORGIUM
WILKIUM, Egregium Philologum, ibidem invenit, & ad
elegantiore[m] latine linguae culturam operam Ejus paratissi-
simam habuit: DN. M. ANDREAM KIRSTENIUM,
jam Con-Rectorem meritissimum, felicem sui cultorem,
per integrum conversationis, & informationis Scholasticae
spatium, itidem est consecutus. Cum autem ad Acade-
mica Studia Praceptoribus ipsis maturus videretur, Uni-
versitatem Lipsiensem vicinam elegit, ibidemque felicem
studiorum superiorum sedem fixam posuit, & per aliquot
annos magna sedulitate, inter celebratissima Mercato-
rum negotia, bonarum artium mercaturam ipsemet exer-
cuit, & commutationibus frequentissimis, ac selectissimis opes
ingenii non contemnendas collegit. Philosophos, & Philolo-
gos hujus Academiae sedulitate debita consuluit, & audivit, &
inde perfectione[m] solidam in utroque studio non vulgarem sibi
comparavit. Imprimis autem B. D. VALENTINI ALBERTI,
DN. LIC. CYPRIANI, DN. LIC. RECHENBERGERI, DN.
LIC. FELLERI, Affinis sui Desideratissimi, Scholas, magno
cum fructu, visitavit, & ex iis pulcherrimum deliciarum Phi-
lologicarum, divitiarum Philosophicarum & amoenitatu[m] histo-
ricarum, apparatus sibi comparavit: Cum primis interno
quodam impulsu totus ad jucundissimum, ac utilissimum Lin-
guarum

guarum Orientalium studium ducebatur, eâq; de causa *Lectoribus* istarū *Linguarum & Ordinariis, & Extraordinariis*, fideliter adhæsit. Scholas privatas, quas ad explicationem Rabbi Abarbenelis, & aliorum, DN. FRIDERICI, ALBERTUS, *Christiani, Judæus Conversus*, sed ipsa re nec *Conversus, nec Christianus, Ebraicæ Linguae* tum temporis industrius Lector, magno numero constanter aperiebant, alacritate, & sedulitate fructuosa frequentavit, & inde varios Lingvarū thesauros sibi comparavit. Ut vero scopum suum eo facilius, & felicius, attingeret, B. DN. D. AUGUSTUS PFEIFFERUS, hætenus ECCLESIAE LUBECENSIS MERITISSIMUS PASTOR, ET SUPERINTENDENS, tunc temporis autem HEBREÆ LINGVÆ PROFESSOR, Eum præcunctis alijs informationi Filiorum suorum præfecit, & in familiarem, ac quotidianam conversationem ex voto recepit, in quâ statione per *duos, & quod excurrit, annos* Hebraicæ Literaturæ hætenus non leviter cultæ *plurimos, & maximos fructus* adjecit. Ita quidem, ut non ad privatos modo congressus *satis paratus, & probatus* esset, sed profectus etiam suos, ad publicam Academiae lucem in *Magnorum, & Celeberrimorum Hebræorum confessa, & congressu* producere posset. *Testimonium* ejus rei luculentum extat in Dissertatione de פסוקי in Esaia caput III, v. 18. sub Præsidio DN. M. POLYCARPI LYSERI, *Facultatis Philosophicæ tunc Assessoris*, quod abunde satis testabitur, hunc *Nostrum Hebræum* nec se plumis alienis ornasse, nec alieno vitulo, prout nonnunquam fieri solet, arasse. Aperuit hoc ipsum mox *Experientia* documentis, & apertis, & satis certis; dum assumpto MAGISTERII Titulo, *Graduq;* materiam hanc uberius excoluit, & exposuit, & præsidendo Disputationes suas in eruditorum concursu frequentissimo, *masculæ* defendit. *Nec Eloquentia studium* postposuit, sed in
publico

publico totius *Academiae* *Conventu* *Oratione*, de *Specialibus* *Spiritus* *San-*
cti *Donis* conscriptam, Feria I. Pentecostali, cum applausu recitavit.
Primum autem, cui jam à teneris ex voto Parentum dicatus e-
rat, *Theologicum* Studium fuit: reliquis enim, tanquam mediis
convenientibus, utebatur, ut eo meliori progressu feliciter ad
hanc *Theologiae metam* contenderet, atq; perveniret! Nam per omne
suae *vite*, cum primis *Academice*, tempus *Theologiam* suam amavit,
admavit, & ad eam cunctis reliquis studiis collimavit, ut nihil ipsi
gratum & acceptum esset, nisi quod ad *Theologiam* colendam,
& excolendam collinearet. Eà de causâ *Theologos* omnes inde-
fesso studio sectatus est, & ex eorum Scholis *Thesaurus* sibi *magnos*,
& *multos* comparavit. Beatos viros DN. D. SCHERZERUM, DN.
D. MOEBIUM, DN. D. ALBERTI, constantis auditoris fidem de-
dit, & *Vivos* adhuc, per Dei gratiam, DN. D. OLEARIUM, DN.
D. CARPZOVIVUM, *privatis*, & *publicis* in *Scholis* audivit. Anno 1685.
Jenensem *Academiam*, *Patriæ* propriam, accessit, ibique, præter alia
Studia, *Lingvam* *Gallicam*, & *Italicam*, sibi familiarem reddidit, ac
in *Virorum* *Magnorum* notitiam, & *Patrocinium*, ibidem pervenit.
Factum inde statim, ut post *semestre spatium*, *Mediatore* *Celeberimo*
Medico, DN. D. GEORGIO WEDELIO, Tingedam ad *Generosissimum*
DN. GEORGIUM de Wangenheim / *Serenissimi* *Principis*
FRIDERICI *Consiliarium*, & vocaretur, & *Soboli* ipsius *Nobilissimæ*
præficeretur. *Spartam*, quam ibi nactus erat, magna cum laude *Stu-*
diis omnibus exornavit non tantum, & ad *Generosæ* *juventutis* ædifi-
cationem cuncta feliciter ordinavit, sed horis etiam succisivis *Ono-*
matognosiam *curiosam*, sive *Nominalium* *Antiquitatum* *Libros* V. con-
scripsit. Præter opinionem suam à Parentibus domum expetitus,
stationem hanc dimittere necessum habuit: Neq; tamen apud Eos
diu latere potuit, cum ipsa *Vitus* in *obsuro* *latere* nesciat. Mox enim
Nobilissimæ *Juventuti* Dn. ERNESTI MATTHIÆ de Bore / *Sere-*
nissimi *Electoris* JOH. GEORGII III. & IV. nec non *Potentissimi* *Re-*
gis *Poloniarum*, *Generosæ* *Juventutis*, *Informatoris* instar, destina-
tus fuit. Ex hac *privata*, *statione*, per *divinam* *vocationem* ad *pu-*
blicam *munem* transit, & primum Anno 1688. *Concionatoris* *Castrensis*
apud

apud *Excellentissimum Campi-Mareschallum DN. Hein-Heinrich*
à Flemming / in expeditionibus adversus Gallum per superiorem
 Germaniam, partes suscepit, & *obsidioni Moguntiacæ Pastor* adfuit.
 Neque tamen *Musas* suas castris exesse voluit. Id quod luculenter
 attestantur *Tractatus Monumentum Drusy, Moguntie obvium, oder*
der Eichelstein / & Suspiria, quæ vocat, *Johannea*. Anno 1691.
 à Proto-Synedrio Electorali *Pastor* in *Bernsbach* vocatus, & con-
 stitutus est. Anno 1694. *Chemnicensis Ecclesiæ Diaconatum*, post
 Amplissimi Senatus vocationem, ingressus, cui officio per 4. An-
 nos, favente divina gratia, non absque fructu præfuit, neque segnem
 in illa *Sparta* se præbuit, sed præter ordinarios labores non tantum
Königii Theologiam-Positivam in Tabellas redegit, & *Exercitiū Anti-*
Bossueticum de Mystero in corona Papali ad Apocalypseos c. XVII.
 5. conscripsit, eiqve ut limatius, pleniusqve, lucem videat, strenuè
 adhuc operam impendit. Hoc anno 1698. *Pastor Primarius Radeber-*
gam à Proto-Synedrio Electorali vocatus est. Cum igitur in hoc
 Pastoratu, per Dominum Ecclesiæ, latiore sibi janua aperta
 deprehenderet, & ardorem apud se subinde majorem ad publicos
 usus offenderet, ex consilio Patronorum, & bene meriti Parentis
 Gradum Honoris in Theologia summum modeste petere constitu-
 it, ut eo meliori successu, & majori fructu, semper Ecclesiæ bonum
 promovere posset, reverenter Honores istos à Collegio Nostro
 Theologico paucos ante dies desideravit, & facilem à nobis ad
ἀσκήσια publicam viam impetravit. Cras Deo volente Speci-
 minum initium *Oratione solenni* horâ IX. matutina facturus est,
 ad quam MAGNIFICUM DN. RECTOREM, ILLUSTRISSI-
 MOS DNN. BARONES, PATRES, & CIVES ACADEMIÆ,
 sicut & alios HOSPITES, ea, qua decet, reverentia, nunc invita-
 mus. *Deus omnis gratiæ benedicat Academia, Collegio Nostro, cun-*
ctisq; MAXIME REVERENDI DN. CANDIDATI conatibus, labo-
ribus, & fortunis, Verbumq; Veritatis, & Ecclesiam Orthodoxã, ad diem
usque Christi, clementer inter Nos custodiat propter Christum!
 P. P. DOMINICA XIII. post TRINITAT. Wittebergæ
 Die XVIII. Sept. Anno clō lōc II. C.

05 A 654

ULB Halle


3

004 207 653



red.





IN NOMINE JESU MESSIÆ!
DECANUS
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI,
D. JOHANN. Deutschmann/
PROFESS. PRIMARIUS, COLLEG.
THEOLOGICI SENIOR, TEMPLI PRÆ.
POSITUS, &c.

PRIMUM, MEDIUM, ET NOVISSIMUM,
FIDEI, JUSTITIÆQUE SALUTARIS,
IDQUE SALTEM UNICUM, ET SOLITARIUM,
CATHOLICUM, ET PERPETUUM,
PATRIARCHARUM, PROPHETA-
RUM, ET APOSTOLORUM, AC OMNIUM
DOCTORUM,

CENTRUM,
CUM APOSTOLICA VEL OPPOSITIONE, VEL EX-
CLUSIONE NOSTRORUM BONORUM OPERUM,
IN ORACULO GEN. XV, 6.

UNIVERSIS, ET SINGULIS LECTURIS,
PIIS MEDITATIONIBUS OFFERT,
ET AD SOLEMNEM ORATIONEM
IN ACADEMICA PANEGYRI,
DIE XIX. MENSIS SEPTEMBRIS
OMNES REVERENTER INVITAT.

(1698)